

10

Romae conspicuae,
urei, monilia!
ugit vespertilio,
cer latebras.
singulis ad singula,
rcae prudentia.
nes » poëta scripse-
[rat...
que insidias,
es Sinones sumus!¹


PUBLIUS.

vultu et spiritu...
orsus conscientiae;
ius est iam cursus,
is memoria;
dulcis, munificus,
qui me teneris,
quae patriae,
olatur et mitigat.
nos memorat,
gustum decorat,
esse prae ceteris,
care in tramitem
igionis Dei ...
sancti iuris infidi...
ctos auri fames.
Iuvat componere
m ... Nam sumus
[nos soliti;
ator optimus;
c tenebrosum ge-
[nus
inari quod lubet.

buntur.
i, Sponsor.

TITIS VATICANIS.

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

•••

Sedes aliae: In Italia: Alba - Albano Laziale - Anagni - Andria - Anzio - Aquila - Arcidosso - Arezzo - Ascoli Piceno - Assisi - Aversa - Avezzano - Bagni di Lucca - Bagni di Montecatini - Bari - Bastia Umbra - Benevagienna - Bergamo - Bibbiena - Bisceglie - Bologna - Bolzano - Borgo a Mozzano - Bra - Brescia - Cagliari - Caltagirone - Camaiore - Campiglia Marittima - Canale - Canelli - Carate Brianza - Carloforte - Carrù - Casalbuttano - Castellamonte - Castelnuovo di Garfagnana - Castiglion Fiorentino - Catania - Cecina - Celano - Centallo - Ceva - Chiusi - Città di Castello - Colle Val d'Elsa - Como - Cornigliano Ligure - Cortona - Cotrone - Crema - Cremona - Cuorgnè - Dogliani - Fabriano - Fermo - Fiesole - Figline Val d'Arno - Firenze - Foggia - Foiano della Chiana - Foligno - Forte dei Marmi - Fossano - Frascati - Frosinone - Gallicano - Gallipoli - Genova - Giugliano Camp. - Grosseto - Gubbio - Intra - Ivrea - Lanciano - Lecce - Legnano - Livorno - Lucca - Luserna S. Giovanni - Marciana Marina - Merano - Mercatale - Messina - Milano - Modica - Mondovi - Monteleone Calabro - Montesampietranello - Monte S. Savino - Monte Urano - Montevarchi - Napoli - Nardò - Nocera Inferiore - Norcia - Novi Ligure - Oneglia - Orbetello - Orvieto - Orzinuovi - Pagani - Palermo - Pallanza - Parenzo - Piadena - Pietrasanta - Pinerolo - Piombino - Poggibonsi - Pontecagnano - Pontedera - Popoli - Portoferraio - Porto S. Giorgio - Potenza - Pratola Peligna - Rapallo - Reggio Cal. - Rivarolo Canavese - Rocchetta Ligure - Roma - Rovigno - Salerno - S. Benedetto del Tronto - S. Maria degli Angeli - Sanseverino - Saronno - Savona - Segni (Scalo) - Siena - Siracusa - Squinzano - Tagliacozzo - Terranova Sicula - Tivoli - Torino - Torre Annunziata - Torre dei Passeri - Torre Pellice - Trento - Trieste - Velletri - Viareggio - Viterbo - Volterra.

Apud Italicas colonias: Bengasi - Tripoli.

Apud exterbas gentes: Parigi, Lione in Gallia - Barcellona, Tarragona, Montblanch, Borjas Blancas, S. Coloma de Queralt, Wals in Hispania - Lugano, Chiasso in Helvetia - Alessandria, Cairo, Port Said, Mansourah, Tantah, Beni Mazar, Beni Soueff, Bibeh, Dessouk, Fashu, Fayoum, Kafr El Cheikh, Magagha, Mealla, Kebira, Minieh, Mit Gamr, Zagazig in Aegypto - Malta in insula Melita - Aleppo, Beyrouth, Damasco, Tripoli in Syria - Gerusalemme, Caifa, Giaffa in Palaestina - Costantinopoli in Turcarum imperio - Smirne, Scalanova, Sokia in Asia Minore - Rodi in Aegeo mari.

¶ Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt. ¶

Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
pretio quod sequitur:

JOSEPHI FORNARI **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda. - Fasc. I: *De salutatoriis formulis, De valetudine percontatio, Morbi, Medicamenta.* - Lib. 2,10.

JOSEPHI FORNARI **Fridianus** et **Francisculi prandium**, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulæ lib. 1,50; ambae lib. 2,60.

HERMINII IACOBELLI **In campo latinitatis novi flores.** - Si tegumento solut. lib. 3; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 4.

I. B. FRANCESIA **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. - Singulæ lib. 1,50.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI **Arrhae Gorgoniae,** Milesia fabula. - Lib. 1,50.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,50 pro singulis exemplaribus.*)

osso - Arezzo -
 Bastia Umbra -
 Bra - Brescia -
 Carloforte -
 Catania -
 Cornigliano
 Fiesole -
 Fossano - Fra-
 Intra - Ivrea -
 Merano - Mer-
 engeli - Monte
 Novi Ligure -
 Padena - Pietra-
 ferraio - Porto
 Pochetta Ligure -
 Saronno -
 Tivoli - Torino -
 Veggio - Viterbo

Borjas Blancas,
 Port Said, Man-
 eikh, Magatha,
 Beppo, Beyrouth,
 Arcarum imperio

sunt. 

ciis

um dantur,

latina col-
 valetudine

Milesiae
 Singulae

Si tegu-
 ib. 4.

cae. - Sin-


Lib. 1,50.

publici cursus

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,50; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Graecia drachm. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Gallia, Helvetia, Belgica ceterisque universi orbis nationibus franc. 15 ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*



De Ecclesiae Catholicae Magisterio in studiosae iuventutis institutione¹

Infaustae novitates, quae ut errores, male audiunt, nihil aliud quam malignae contemptionis sunt semina, cuius gratia infelix homo in ea, quae spiritum redolent, principia vehementer invehitur, quidquid vero carnalibus blanditur, laudibus commendat, ardetque procax. Nobis vel parum progredientibus in illarum novitatum examen, quae nunc temporis, pariter atque praecedentibus saeculis, Catholicae veritati gravia pergunt obversum discrimina, praesto haec aderit sententia iam pridem nota, atque his verbis a Sancto Cypriano expressa: *Haereses scilicet invenerisse diabolum et schismata, quibus subverteret fidem, veritatem corrumparet, scinderet unitatem.* Huiusmodi errores, qui stultissime nostris hisce temporibus, ut quondam, celebrantur, et velut centies repetita crambe in miserrimae societatis medium afferuntur, hominis mentem et animum, qua simulata rei

specie, qua verborum lenocinio, qua falso scientiae nomine, capere, inque peius vertere intendunt; quaestiones, vel imperitisimis quibusque obvias, quippe quae radicem per communem sensum in humana natura miserunt, incredibili quadam praetexunt obscuritate. Plurima in dubium saepe adduci, plurima passim stolide repudiari, quae semper et ubique gentium a recta ratione fuerunt aequissime persensa, maximi habita, saepe saepius vindicata.

Ut vero, *quum simus rationabiles, non efficiamur stulti*, iuxta Ignatii Martyris ad Ephesios monitum, et illorum novitatum coercentur intemperantia, cuius est Ecclesiam persecuti, affligere et laniare, *in custodia Dominici gregis haec pars gloriae Ecclesiae reservata Pastoribus*, Divi Prosperi contra Collatorem verba aptamus, *ut sicut alii lupos abegere manifestos, ita alii depellant occultos.* Ad christianam iustitiam et catholicam veritatem firmiter stabiliendam, a protervo novatorum scommate sanguinumque contumeliis tuendam, sua potissimum studia Ecclesiae Pastores consecrarunt, ut hae doctrinae publicis praesertim et privatis scholis adlegendur, quarum ope et mens, a quacumque caecitate immunis, perspicuum de divinis humanisque acquirat no-

¹ Dixit ad novum annum auspicandum Pontificiae Academiae Romanae de Catholica Religione, d. ii mens. Martii MCMXXII.

titiam, et animus, omni prava affectione postposita, cum caelicolis expetat quodammodo conversari. Atqui nequam versutiae non humana, sed divina sapientia sunt omnino diluendae, et adversus carnis illecebras est ad spiritus arma porro concludendum; ab Ecclesiae ideo primordiis, apud Romanos primum, qui, prout recte scribit Minucius, « non ideo tanti, quod religiosi, sed quod impune sacrilegi », et sequentibus mox saeculis apud reliquas gentes errorum fragmentis corruptas, selectissimi viri convixere caelesti doctrina conspicui et Iesu Christi conflagrantes amore, « quorum electio, ut ait Chrysostomus, divinae erga populos benignitatis argumentum fuit evidens, et eorum, qui sic electi fuerunt, virtutis commendatio ».

Ne fides subvertatur, ne veritas corrumperatur, ne unitas scindatur, hi societatis humanae reformatores christiana signarae plebis institutioni serio et funditus providere statuerunt et statuunt; maxima experientia edocis introspectum est perversas saeculi ideas pravosque mores vera solidaque tum litteraria, tum religiosa iuventutis eruditione et pietatis praxi abigi atque emendari, pariterque cuiuscumque reipublicae faustitatem nec non exoptatam hominis beatitudinem, quantula heic cumque in terrenis esse potest, inniti; si enim diligenter a teneris annis pueri pietate et litteris imbuantur, felix totius vitae cursus sperandus est.

Ut solidior pleniorque evadat adolescentum felicitas, eos iam inde usque a pueris vult Ecclesia addictos studio cum primis naturae, a qua non solum scientiae semina accipimus, verum etiam mirabilem quamdam virtutem ad superna concipienda, quoddam ad consequenda adiutorium salutare. *Natura incipit.* Pretiosissima quidem sunt naturae documenta, opimi commeatus, his, qui scientiae vir-

tutisque longum iter et arduum instituunt; modo illa non praetermittant vel pervertant superbi, nec hos sacrilegi aspernentur et fastidian. Et quoniam naturae thesauros haudquaquam defectur sicut Ecclesia, ideo scientiam et virtutem inhiantes docet adolescentes magna cum reverentia divina opera crebro digneque versare, plurimi aestimare et habere. Infinita enim pulchritudo, quae Deus est, in singulis creationis obiectis resplendens, humanae rationi perinde ac voluntati impenditur, quasi halitus dulcissime perflans; et simul perfectio- nis semina, ingenio laborique nostro commissa, suaviter aequa ac potenter vivificat; unde pulcher evadit adolescentes, nam « recte sapiens pulcher appellatur », ex Catonis sententia; et sic pulcher, ut nihil inter corporea, quod cum illo conferatur, dignum inveniri possit; animi enim lineamenta sunt pulchriora quam corporis. Magna quum sit humanae mentis exilitas, naturae tamen si studio applicetur, mirum quam facile eas, quibus opera sua stupenda Deus manifesta facit, disciplinas percipiat, mirum quam prompte illam inveniat et possideat sapientiam, cui facunda adolescentum pectora hanc cum Regum Sapientissimo ingeminent confessionem: *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti.* Et quemadmodum creatarum rerum pulchritudo omnes, qui sana sunt mente, movet, fallitque neminem; ita quae in creatis resultat pulchritudo divina mirificeque refertur, mentis aciem perspicuitate auget, cor ad increata disponit, trahitque, donec humana virtus ceteris, quae in terris versantur, tanto pravaleat, pulchrior tanto sua forma luceat,

*Clarior quanto micat orbe pleno,
Quum suos ignes coēunte cornu
Iunxit, et curru properante pernox
Exserit vultus rubicunda Phoebe.*
(SENEC., Hippol. Chor.).

Has miras naturae utilitates secum reputant catholici doctores; sed a falsis

Stoicorum placitis abhorrent, iuxta quae solius naturae est adolescentum institutio- nem et auspicari et perficere. Ecclesiae doctrinis absonam quam maxime existi- mant illam sententiam, cui favit Tullius, quum quam quod debitum erat ei inconsu- tior asseruit: « adolescentes melius a natura institutos fuisse, quam institui po- tuissent a philosophia ». Nihil hac senten- tia fallacius, nihil periculosius. *Arte enim dirigendum*, quod incepit natura; hoc aetatum memoria, hoc quotidiana rerum experientia et glorirosis et miserandis faci- norum testimonii clarissime comproba- runt: quod scitissimus sic expressit Au- gustinus: « Homo anima rationalis est atque terreno utens corpore; ad corpus quod pertinet medicina nominata est, ad animam vero disciplina ». Quid, nisi omnium princeps Ecclesiae disciplina malum, quod protoparentum inobedientia miserae proli- pepererat, satis pro humana dignitate pro- pulsus curavit et in praesens depellit? Omnim populorum historia confirmatur sensum et cogitationem humani cordis in malum prona ab adolescentia sua, solam Ecclesiae disciplinam a crudeli iugo libe- rassee, solam sacro obice naturam conti- nuisse.

Uterque protoparens, ita Doctor Sera- phicus in *Breviloquio*, « dum inordinate se erexit super se, cecidit miserabiliter infra se a statu innocentiae et gratiae ad statum culpae et miseriae; uterque pri- vatus rectitudine originalis iustitiae; propter cuius absentiam incurrimus quantum ad animam quadruplicem pœnam, scilicet, infirmitatem, ignorantiam, malitiam et concupiscentiam ». Haec quadruplex poena nota his satis superque est, qui adolescentiae curam suscepit; quibus quidem ex altera parte naturae mirabilia ad remedium arrident, quasi planae tene- risque alumnis facilisque viae, queis ullam ad iuveniles animos sursum attollendos meliorem optare nunquam possent: « invisi- bilia enim Dei a creature mundi, per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divini- tas »; ex altera vero parte ethnicorum conditionem tristissimam, salutifera christiana disciplina carentium, sub pectore et ad deplorationem iterum iterumque revolvunt. Viderant ethnici Omnipotentis Mag- nalia, sempiternam senserant virtutem, cognoverantque divinitatem:

*Est Deus in nobis, agitante cæscimus illo;
Impetus hic sacrae semina mentis habet.*

Sed, o illos miseros! qui non probave- runt Deum habere in notitia!... Naturam purissimo byssinoque habitu exutam quam memorem? Quos memorem homines, in pulla et sordida naturae veste, Ecclesiae doctrinis destitutos? Ob oculos amphithe- atrum ponite, in quo non illa « exsecrabilis familia christiana » Deum verum, omnium Creatorem, et quem Deus misit Iesum Christum, profitens atque adorans affligatur, cremetur, dentibus bestiarum molatur, ut, velut Martyr Ignatius, possit panis Dei mundus inveniri... « Quam pulchrum, enim, spectaculum Deo, — exclamat Minu- cius Felix, — quam pulchrum spectaculum Deo, quum christianus cum dolore con- greditur, quum adversum minas et sup- plicia et tormenta componitur, quum stre- pitum mortis et horrorem irridens carni- fici se inculcat, quum libertatem suam aduersus reges et principes erigit, quum soli Deo, cuius est, cedit, quum triumphator et victor ipsi, qui adversum se sententiam dixit, insultat! ». Sed amphitea- trum fingite, quod, nae, primo crudelius et revera miserable! Servorum agmina, vilia, propudiosa, corrupto plenum populo est contemplatum, dum Caesarem, qui quanta ceteros potestate praecellebat, tanta pravitate superabat, ita alloquebantur stu- pidi: *Caesar, morituri te salutant.* Longe vero atrocius spectaculum dixeritis, quum altissimae dignitati, qua pollet, abrenun-

cians homo, illud *os sublime, caelumque tueri, et erectos ad sidera tollere vultus*, illam animi facultatem, quae in veri cognitione consistit, illum motum, quo ad supremi boni consequutionem omnes trahimur et ducimur, pessimo suppliciorum generi tradit, sacrilegis passionum fomentis, proh nefas! hebetandus. Verum esse stabulum quis unquam subdubitet naturam, siquando spiritus, qui supremam refert divinitatem, a recti honestique via declinans illi subtrahatur? Iure merito huiusmodi naturae studium in crimen vocare haesitabit nemo, quem tot victimae coram adstent, non bestialis ferociae censibus explicatae palaestris, sed indignae facultatum abiectionis, qua nihil turpius potest excogitari.

Egregie fecisse sibi visi sunt doctores catholici, nec iniuria, ex deliramentis, quae homines *terrena sapientes* comminisci non puduit, gravissimas delibare rationes, ut, humani cordis studio versatissimi, ea dilectis pueris contemplanda proponerent, quae animum a terrena voluptate interdicere, eumque caelesti delectamento afficere singulari quadam providentia consueverunt. Inesse rebus creatis *quid* divinum noverant, Dei omnipotentis magnalia ad rectum diuturnumque examen soliti revocare; unde, ut scribit Arnobius, cognitio, « quae fermentum quoddam est vitae »; illud, quod in creaturis divinae pulchritudinis reflectitur mysterium, spiritus elevationem operari cordisque salutem crediderunt, imo et percepérunt. Quemadmodum, iuxta *Catechismum romanum* ad Divi Gregorii mentem, « divina virtus sub rerum corporearum tegumentis occulte salutem efficit », unde nomen habent Sacra menta, a Iesu Christo instituta, ut sanctificemur; sic natura, non tamen eminentissimo modo, nec pari effectu, quamdam ineffabilem habet virtutem, cuius ope hominis facultates exulta illam cupiunt possidentque et cogitandi et agendi ratio-

nem, qua utriusque pulchritudinis, divinae scilicet ac humanae, consortium comprehenditur.

(*Ad proximum numerum*).

THOMAS VIÑAS, S. P.

DE POËTARUM ELEGIACORUM COMPARATIONIBUS¹

Mens - Somnus.

Hominem fulminis ictu mente privatum OVIDIUS exhibit (*Trist.*, I, 3, 11): *Non aliter stupui, quam qui Iovis ignibus ictus vivit et est vitae nescius ipse sua*e. Quam tamen sententiam non ab illo inventam esse usus communis vocis *attonitus* satis monstrat. Idem sentio de (η, 36) τῶν νέες ὥκειαι ὥσει ... νόμα, quam e nostris nemo praeter THEOGNIDEM profert (985): αὐθα γάρ ώτε νόμα παρέρχεται ἀγλαὸς ήβη.

Imaginem somnii, qua nos etiam uti solemus, ut rem fugacem et caducam illustremus, in Romanorum carminibus nusquam inveni, praeter apud Graecos:

(Λ, 207): *Τρὶς δέ μοι ἐκ χειρῶν σκῆνη εἴκελον ή καὶ ὄνείρῳ ἔπειτα*.

MIMNERM. (5, 4): 'Ἄλλ' ὀλιγοχρόνιον γίγνεται ὥσπερ ὅναρ ήβη τιμήσοα in lusu amatorio δαριστός qui vocatur (8), τάχα γάρ σε παρέρχεται ὡς ὅναρ ήβη, et in BONIS epitaphio in Adonidem scripto (58): *Πόθος δέ μοι ὡς ὅναρ ἔπειτη*.

VERGILIUS (*Aen.*, XII, 908):

Ac velut in somnis, oculos qui languida pressit nocte quies, nequicquam avidos extendere cursus velle videmur, et in mediis conatibus aegri succidimus, non lingua valet, non corpore notaе sufficient vires, nec vox aut verba secuntur.

Apud unum THEOCRITUM leguntur (2, 108): *Οὐδέ τι φωνᾶσαι δυνάμαν, οὐδὲ ὄστρον ἐν ὑπνῷ κνιζεῦνται φωνῆντα φίλαν ποτὶ ματέρᾳ*

¹ Cfr. fasc. sup.

τέκνα. Et (9, 16): *"Ἔγω δέ τοι, ὄστρον ἐν ὄνείρῳ φαίνονται, πολλὰς μὲν ὅσις, πολλὰς δὲ χμαίρας.*

Somnus mollis in comparationibus est.

THEOCRITUS (5, 51): *"Η μὰν ἀρνακίδας τε καὶ εἴρια τεῖδε πατήσεις, αϊκ' ἔνθης, ὑπνῷ μαλακώτερα.* Et (15, 125): *Πορφύρεοι δὲ τάπητες ἀνώ μαλακώτεροι ὑπνῷ.*

VERGILIUS (*Ecl.*, 7, 45): *Tale tuum nobis carmen, divine poëta, quale sopor fassis in gramine.* — Denique quae quidem non imago iusta est, tamen quum etiam a nobis usurpetur, hīc locum inveniat BONIS epit. Adonid. (71): *Καὶ νέκυς ὁν καλός ἔστι, καλὸς νέκυς οὐα καθεύδων.* Contra, imago mortui ad vivum illustrandum adhibetur ab Euphorione (ΜΕΙΝ., fr. 157): *Πάντα δέ οι νεκυηδὸν ἐλεύκαινον τὰ πρόσωπα.*

Amor - Matrimonium.

Honorem viri exhibit LYGDAMUS (4, 52) — Neaera — *tantum cara tibi, quantum nec filia matri, quantum nec cupidō bella puella viro.*

Sponsam viso marito rubentem miro consensu OVIDIUS et LYGDAMUS, et uterque quidem in serie imaginum induxerunt: LYGD. (4, 31):

*Color in niveo corpore purpureus
ut iuveni primum virgo duxta marito
inficitur teneras ore rubente genas,
et cum contextunt amarantis alba puellae
lilia et autumno candida mala rubent.*

OVIDIUS (*Am.*, II, 5, 35):

*Conscia purpureus venit in ora pudor
quale coloratum Tithoni coniuge caelum
subrubet aut sposo visa puella novo,
quale rosae fulgent inter sua lilia mixtæ
aut ubi cantatis Luna laborat equis,
aut quod, ne longis flavescer possit ab annis,
Maeonis Assyrium femina tinxit ebur.*

Quod primum facile credas, Lygdamum hunc locum ad Ovidii exemplum expressisse, fulcrum non habet, nisi in ea re, quod comparatio inepta est, neque quae commendet nitorem amatae. Sed hoc in tam mediocri poëta magni momenti non est, si reputabis vix credibile esse, eum,

si Ovidii locum ante oculos habuisse, neglexisse et imaginem lunae decantatae et aurorae et pro iis duobus versibus ante, simpliciter scripsisse *candor erat qualem praefert Latonia luna*, quartam vero imaginem totam abiecisse, in secunda autem pro splendidis rosis induxisse amarantes humiles. Itaque eos sequor, qui Ovidium credunt Lygdamii locum memoria tenuisse itaque adhibuisse, ut de suo aliquid adderet.

Comparationem THEOCRITI (12, 5): *"Οστον παρθενικὴ προφέρει τριγάμοιο γυναικός* ex communi opinione eum sumpsisse opinor. Quae autem apud eumdem exstat imago (8, 91): *Ὦς δὲ κατεσμύχθη καὶ ἀνετράπετο φρένα λύπῃ ωτερος οὔτω καὶ νύμφα γαμεθεῖσ' ἀκάχοιτο*, non ad sponsam sed ad nympham a Pane vel Satyro viciatam pertinet. Apud eum solum exstat imago amantis, qui parentum verba non curat (9, 18): *Τῶ δὲ θέρευς φρύγοντος ἐγὼ τόσον μελεδάνω, ὄστον ἐρῶντι πατρὸς μύθων καὶ ματρὸς ἀκούειν.*

(Sequetur).

ALEXANDER AURELI.

DE VINCENTIO BELLINIO insigni musices auctore

Haud abs re erit fortasse, quoniam nos multis dicimus opprimi incommodis, in mentem revocare quod accidisse fertur immortalis illi musices auctori, qui fuit Vincentius Bellini. Hic enim in ipso aetatis flore, quem iam compluribus musicalibus compositionibus inclaruisset et maiorem de se fiduciam daret, ob magnam ingenii abundantiam, ex improviso, gravi morbo interceptus, ingemiscientibus omnibus, Lutetiae Parisiorum diem obiit supremum. Quam opportune est hanc rem memorare hoc ipso tempore quadragesimali!

Anno millesimo octingesimo quinto et trigesimo, mense Februario, ipse invita-

tus ad coenam apud clarissimam foeminam inter alios et principem insubrem inventit, cui nomen Belgioioso. Hic optime musiken callens suavique insuper voce praeditus quam medium appellant, ut Bellini amorem dulciter vellicaret sicque patriae gloriam insinuaret, hunc atque illum electissimum locum, e carminibus excerptum quae Norma appellantur et Sonnambula, assa voce modulatur. Interea, se se abrum-pens: « Alia - dixit - canamus ».

At Vincentius noster, magna numerorum suorum suavitate abruptus, interruptionem aegerrime ferens: « Perge - inquit - perge italicos numeros canere. Est adeo pulchra haec musica mea; tuque tam graphicam eam modularis! »

In his peropportune omnibus Heine intervenit, qui unus ad coenam etiam nunc desiderabatur.

Adest et poëta Mussetus, qui eo tempore lyricorum princeps apud Gallos habebatur. Insurgit enim aliquando, et plenus est iucunditatis et gratiae, et variis figuris et verbis felicissime audax. Doleendum utique, quod eius ingenium minime a leviorum carminum lusu abhorreat, atque ad effaeminatum quandam languorem inclinet. Eius attamen carmina iucundo sententiarum candore commendabantur, atque in affectata illa stili simplicitate, qua fiebat, ut carmina ex illius ingenio nullo prorsus labore fluere viderentur. Locus et erat pluribus umbris.

Tunc ad argutissimam hospitem Heine conversus: - « Cur - dixit - vos quum plurimos habeatis poëtas, extraneos semper in ore fertis multisque laudibus cumulatis? Quis est hic Byron, quis est Goethe, quos unice summos creditis et inter summos ponere haud dubitatis? Et præ ceteris unus adest qui vivens in ore hominum in aeternum volitabit? »

Tunc uno ore omnes conclamat: - « At quisnam est felicissimus hic homo, gloria patriae et reipublicae ornamenti? »

Verum Heine, magna supercilii gravitate et vocis auctoritate, De Musset ipsum digito adsignans: - « En - inquit - Gallo-

rum decus, en omnium lyricorum viventium princeps! »

Dum omnes plausu ultima Heine verba cum exultatione accipiunt, Mussetus unus veluti graviori laudum onere pressus, lacrimis quoque obortis, hanc improbam, ex eius iudicio, laudatoriam sententiam moleste ferens, dentibusque mussitans, pleniores laudationes in alios convertens, Belliniū monstravit, quippe citra omnium existimationem, in musicis suaē aetatis omniumque temporum, principem locum facile obtinet atque in aevum obtinebit.

Cuncti simul ei adsenserunt, et Belliniū laudibus ad caelum ferentes, eum immortalem praedicant, et integrum patriae gloriam iterumque iterumque saluant: - « Sed tu forte - adiungit - etiamsi Deo carissimus divinoque praeditus es ingenio, et angelica facie, haud es genius, quem recentiores vocant, et me amor admodum fallat, alioquin omen avertat Deus, ut olim egregius ille vester Raphael Sanctius, et nostris temporibus clarissimus Mozart, qui florentes admodum aetate et gloria diem supremum obierunt, ad mortem festino pede et tu progrederis! »

Bellinius primum, maximoque pallore suffusus; mox omnes simul exterriti convivae amplio clamore repetunt: - « Longe absit pessimum augurium! Taceat mali alitis vates! Taceant omnes

Sororū ingenium divinorumque capaces!


Prae ceteris Heine corrigens se se dicere haud desinit: - « Tu, bone Vincenti omen meum optimum de vita longissima accipe, et meliora sequamur. Vive, vive! » Et omnes concordes hanc vocem laetantes repetunt.

Verum tribus post diebus, Vincentius Bellini, subito morbo correptus, adventantem mortem in paucorum amicorum complexu placidissime exceptus, quum aetatis annum ageret trigesimum quartum.

Eius funus si acerbum fuit Catanae, cuius erat suavissimus filius, grave et bonis artibus, quas impense coluit, luctuosum Italiae habitum est, tam cari capitis desiderio infelicissimo.

Haec ego moestus admiratusque resumpsi atque in compendium edidi ex epistola, quam adhinc paucis annis, ephemoris, cui est titulus *Morning Post*, in vulgus edidit.

SENIOR.



BENEDICTUS XV - PIUS XI

*Nunc, Sponsa Christi, desine lugubri
Urgere cantu; vestibus aureis
Induta, gaude: Patre dempto,
Ecce Pater tibi surgit alter.*

*Humana vitae scilicet impia
Mors falce nigra demetit, obruit;
Tu frangis ictus, tu ruinis
Stas mediis, renuens perire.*

*Custos Iesus stat lateri vigil;
Is vita, dux et temporis arbiter;
Tutante Christo, vim procellae
Ingeminent, potior resurgis.*

*Nuper tenacem propositi virum,
Magnum levamen bella per horrida
Pacis sequestrem, mors acerba
Abripuit tumuloque mersit.*

*O Pastor, orbis qui fueras amor
Nunc moeror ingens, o Pater omnium
Plorantium, quā laude tollam
Te populi, BENEDICTE, lumen?*

*Luxere gentes sole sub ultimo,
Fideque cassae; signa nigrantia
Nostras ad urbes; gesta passim
Dicta pio populi susurro.*

*Tu, functe vitâ, candide Pontifex,
Templi sub antris, quā decimus Pius
Quā multa conduntur sepulcris
Corpora Pontificum, quiesce.*

*Te non coērcet perpetuus sopor;
Vivax redibis, cum grege Martyrum
Auctus corona; Te beabit
Pax et amor, superante vita.*

*Conclave rubri iam celebrant Patres;
Afflante magno pectora Numine,
Optatur unus, sede celsa
Imperat en Petrus alter orbi.
Salve tiarâ tempora nobilis,
Quem spectat unum terra recentibus
Vastata bellis; magne Pastor,
Pasce gregem placidusque regna.*

*Doctus vetustis reddere paginis
Certam loquelam, tradere dogmatum
Arcana; sensus iuris, altas
Et sophiae latebras docere.*

*Missus Polonis nuncius, evehis
Ius et vetustum nomen, et impia
Victis Gelonis fata mulces,
Mirifica pietatis auctor.*

*« O quanta, clamas, me manet Insubrum
Palaestra ad urbem, quā prius Ambrosi
Et Caroli fulsere gesta et
Laudis iter puer ipse cepi! »*

*Raptim sed ultra tolleris, et manes
Non transiturus, vertice Romuli;*

*Formasse visus fausta sacrae
Signa Crucis super urbe et orbe.*

*Immensa plaudit turba Quiritium;
Piisque gentes UNDECIMUM canunt;
Nunc sede ab alta cerne mundi
Propitius mala luctuosi.*

*Non una vexat cruda necessitas;
Furunt per urbem praelia partium;
It civium sanguis; fatiscit
Publica res, pereunteque mores.*

*Tantis frementem seditionibus
Pacis per orbem semina provehe;
Compone cives, nec cruenti
Amplius exagitent tumultus.*

*Reges superbos, sceptraque barbara
Adiunge Christo; nec procul hanc vide
Nostram parentem, Petrianis
Italianam reducem triumphis.*

Aquilae

ANGELUS NARDIS.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCIMUM

Viris clarissimis Andreae Haberl et Iacobo Tasseto salutem plurimam dicit Josephus Fornari.

Qui eventus recens in hac nostra Urbe facti sunt, ii et tempus mihi, et spatium commentarii nostri nimis absorbuere, ut locus daretur humanissimis litteris vestris faciendi responsum. Quod quum hodie aggredior, facere non possum quin in primis Tibi, Haberl carissime, gratias ex animo reddam de piacularibus in uxorem meam desideratissimam actis; cuius memoria, si indelebilis menti et cordi meo manet nec unquam decidet, eo vel magis superioribus diebus luctuose intercedit, quum Benedictus Pp. XV ex hac vita migravit. Non enim unice repetebam eius benignitatem qua me, meosque et opera qualiacumque mea tanto studio prosequebatur, ut in recenti luctu patrem liberosque, fidei vitae comite et matre orbatis, longa epistola sua ipsius manu integre exarata in cogitatione Communionis Sanctorum consolaretur; et colloquium ad quod octavo vix die antequam morbo afficeretur me invitaverat - (ecquis dixerit illud ultimum futurum esse debere?) - et in quo integrum horam cum dimidio familiarissime me haberat; sed fatum notabam et qualitatis et decursus morbi, immo et huius examussim diurnitatis, a feria nempe quarta ad dominicam diem, qua identidem uxoris meae vitae absumpta est. Arcana Dei consilia, quae fortasse intelligentiae nostrae aliquando, quum spiritus tantum erimus et in aeternitate cum dilectis nostris coniuncti, aperientur!...

Sed ad nostras res proprius veniamus: non enim unum nostrum est, ut animi sensus de rebus quae nos depriment vel attollant vicissim communicemus.

Atqui si utrique vestrum, o Andreas et Iacobe, assentior in iis quae de inclinata

et quasi labente latinitate causas induxit, addam et aliam eamque prae omnibus meo iudicio, gravissimam; rationem dico, qua in scholis nunc ad latinam linguam acceditur. Scilicet ea tamquam corpus mortuum fingitur, et consequenter eodem modo in docendo tractatur, quo medicinae doctores alumnos suos erudiunt; *anatomice* nempe, et per cadaverum resectionem. Atqui non omnes, imo pauci, medicam artem diligunt; nemo autem adhuc valuit, nec unquam valebit, eidem vitam infundere. Ex adverso latina lingua etiam nunc vivit, vigetque: vivit quovis oculos convertamus in omnis generis monumenta; viget in sapientum, vel recentiorum, operibus, et viget praesertim in Christi Ecclesia, ex qua tanta animi nostri pars alimentum suscipit, et vitae faustitatem. Si itaque latina lingua ad vitam nostram admoverimus, si per *extemporales*, quas appellant, exercitationes, colloquia, sermones, litteras, composite et quadam prope dicam cum esca et gratia obtulerimus, demandatis omnino grammaticis illis frustulis odiosisque animadversionibus, per quas regulae cum exceptionibus ita nunc inter se conferuntur, ut alumnus nesciat omnino quo caput demum tundat, et - Juvenalis verba usurpo - brachia contra torrentem dirigere coactus sit, non dubito quin taedium in propensionem, ignorantia in habilem sapientiam brevi commutetur. Expertus loquo. Quum - heu! iam plures defluxerunt anni - in quarta et quinta nostri gymnasii classe - quae antea *humanitatis* et *rhetoricae* classes nuncupabantur - latinam linguam tradere suscepi, et communis docendi rationis - ceterum a gubernio propositae - absurditatem facile intellexi, eoque magis quod ab habitu Italicae mentis nostrae eadem ratio aliena mihi omnino videretur, grammaticos libros, quos non immerito fastidiebant, relinquere alumnos meos iussi, eosque invitavi ut vivam meam vocem se-

querentur. Ad propositionis tum atque ad periodi structuram mecum examinandam eos pedetentim adduxi, et correlatione inter complementorum officium in nostra lingua et casuum in latina exposita, correlationem quoque explicavi inter eadem complementa tum in italica tum in lingua latina. Posita sic cuiusque rei vi et ministerio, non sine iucunditate inter cetera recordor, quum ad illam turbam ventum de consecutione temporum, ex qua nullo prope remedio possunt alumni plerunque sese evolvere, discipulos meos facile, quinimo cum risu sese expediisse. Grammaticam autem ex se quisque in proprium usum comparabat, ex auctoribus exempla decerpens. Nec pueri illi, tertium aut quartum supra decimum aetatis annum vix attingentes, ab instituendis inter se et mecum latinis colloquiis de variis argumentis abstinebant, et novo anno adventante, atque die meo nominali, certabant ut grati animi sui sensus et omnia latinis litterulis mihi exprimerent.

En igitur, Haberl mi, quomodo tirones, tot licet *materiis* in scholis oppressi, latinam linguam diligere et exercere possint; en, Tassete, quomodo opere et usu nedum desideremus, non multo labore atque brevi latinae formae compositionem non difficile absolverimus.

Quum autem improbanda latinae hodiernae linguae institutio vel in seminariis ecclesiasticisque collegiis jam satis invulnerit cum ipsius religiosae doctrinae maxima pernicie, fas demum nobis sit confidere fore ut exitiali huic morbo praestans nunc saltem medicina afferatur; eoque magis confidimus quod ad summum Ecclesiae magisterium evectum virum videamus, non solum nomine et re Pium, sed doctrina excultum et omni humanitate; quique igitur talis sit, ut prae ceteris hanc rempublicam suam faciens, strenue, uti decet, eam sibi moderandam suscipiat. Valete.

*Andreas Haberl S. V. D. Iacobo Tasseto
viro celsissimo s. d.*

Non iam multos conveni Gallos lingua doctos Latina, sed qui seposita paulisper sua Gallica, loqueretur Latine, adhuc neminem. Sed tu, vir egregie, quantum mihi fas est concire ex epistola, quam in pagina 13 *Almae Romae* hocce anno expressam video, Latine percontanti, Latine, quae te voluero, reddes. Fac igitur me necopinato aerea nave Turnoduri depositum, nunc, nave fracta, via ferrea iter mollientem in patriam, casu incidere in te ad aedificium stationarium inambulantem et itinerum tabellas tenentem manu. Ultero te, des itineris tempora, compellavero. Tu contra, pro tui facilitate ingenii, libro statim aperto, haec fere videris:

Lyon arr. 3,37 — dép. 4,12

Dijon arr. 9,22 — dép. 9,23

Metz arr. 8,18 — dép. 9,02

Sarrebruck arr. 12,00

Qua in urbe, quando in agmen curruum ascendendum sit, quod saepe feci, probe teneo. Sed superiora illa tempora, quoniam nullum verbum Gallicum intelligo, ut Latine ex tuo indice recites, te rogo. Hoc primum.

Postea quid *diga* sit, ut dicas rogaverim. Quam ego vocem nuper in commentariis quibusdam Latinis adhibitam nullo dum effodi ex vocabulario. - Tu igitur tuam de rebus hisce mentem aperi; a me postea respondebitur. Sic, in exedra quodammodo agetur, nobis sociis fortasse subridentibus.

St. Wendel (Saar) Kal. Martii a. 1922.

Regat disciplinae rigor mansuetudinem; et mansuetudo ornet rigorem; et sic alterum commendetur ab altero, ut nec rigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta.

S. GREGORIUS.

ANTIQUAE RES

De Romanorum Provinciis, Praefecturis, Municipiis, Coloniis.¹

Municipii nomine appellata illa oppida fuere, quibus Romanae civitatis iura impertita essent. Quare Gellius (XVI, 13): «Municipes – inquit – sunt cives Romani ex Municipiis, legibus suis et suo iure utentes, muneris tantum cum populo Romano honorarii participes: a quo munere capessendo appellati videntur; nullis aliis necessitatibus, neque ulla populi Romani lege adstricti». E quibus verbis elucet etiam tum nomenclatura origo, tum quam potior fuerit municipiorum prae coloniis conditio, quam v' debimus, quippe quum ea Romanis legibus obnoxia non essent.

Etsi vero omnia Municipia civitate Romana fruerentur, non una tamen eadem que fuit universorum ratio. Etenim alia quidem cunctis omnino civitatis iuribus erant ornata; at alia suffragii iure, omnium maximo, carebant. Quare prioris generis municipes et in aliquam Romanam tribum adscribabantur, et reipublicae honores petere poterant; secus vero ceteri. Verum id discriminis sustulit tandem lex Iulia, civitatem Italis omnibus promiscue elargita.

Abs re autem non fuerit postremo monere, Municipii et Coloniae vocabula confusa nonnunquam a scriptoribus fuisse. Hoc certe pacto apud Livium (XXVI, 8): «Ipse per Appiae Municipia, quaeque propter eam viam sunt, Setiam, Coram, Lanuvium praemisit»; ubi Municipia dicuntur, quae alias Coloniae appellantur. Et sane Gellius (XVI, 13) ita de hac re scri-

psit: «Quotus nostrum est, qui quum ex colonia populi Romani sit, non et se municipem esse, et populares suos municipes esse dicat?»

**

Coloniarum rationem paucis patefacit Gellius (XVI, 13), quum eas ait «fuisse civitates ex civitate Romana quodammodo propagatas». Etenim erat sane Colonia Romani populi pars ad aliquod incolendum oppidum missa. Oppidum autem ipsum, quod etiam Colonia dictum, vel fuit armis captum, vel omnino ad eum usum a fundamentis erectum.

Iam Coloniarum deductiones – quarum primam originem ipsi Romulo tribuit Dionysius (p. 88) – quam utiles reipublicae extiterint, haud facile dictu est. Per illas enim primum eo onere urbs levabatur, quod ob auctam multitudinem iam nimium gravari videretur; deinde eiusdem urbis sentina plerumque exhaustiebatur, quum ita ferme fieret, ut egentior infestiorque plebs in Colonias deduceretur. Ad haec facultas erat emeritis militibus sedes agrosque, merita laborum praemia, impertiendi. Non raro denique Coloniae certis in locis positae, firma quaedam imperii erant adversus hostiles impetus propugnacula. Quae omnes fuerunt sane quam idoneae deducendarum Coloniarum causae.

Ad harum autem deductionem decernendam senatus consulto, vel plebiscito opus erat. Quo facto, inde a consulibus *Triumviri deducendae Coloniae* dabantur. Exhibit utrumque Livii locus (VIII, 16): «De Colonia deducenda Cales (consules) retulerunt, factoque senatus consulto, ut duo millia quingenti homines eo scriberentur, Triumviro Coloniae deducendae, agroque dividendo creaverunt Caesonem Duilium, T. Quintium, M. Fabium». Ita passim mos tenuit.

Dati porro Triumviri novos colonos sub vexillo in modum militaris manus

praestituta die deducebant.¹ Huc spectant dicta Tullii:² «Tum illud vexillum Campanae Coloniae vehementer huic imperio timendum, Capuae a Decemviris infertur». Ubi vide, pro Triumviris Decemviro es positos, nimirum quia Rullus, legis auctor, tot Coloniae sua Capuam deducendae attributos volebat.

Postquam ventum ad destinatum locum fuerat, iidem illi Coloniae curatores, si quidem oppidum condendum esset, aratro prius moenia designabant. Unde est, ut Varro³ scripserit: «Oppida quae prius erant circumdata aratro, ab orbe et urbo, urbes. Et ideo Coloniae nostrae omnes in literis antiquis scribuntur urbes, quod item conditae, ut Roma». Nec vero solum Coloniae muri, sed agri etiam aratro defiebantur. Hinc Cicero⁴ Antonium obiurgans, quod, quum Coloniae ab eo Casilinum deductae agros terminaret, fines iusto longius protulisset, sic ait: «Coloniam Casilinum deduxisti, ut vexillum tolleres et aratrum circumduceres: cuius quidem vomere portam Capuae paene perstrinxisti, ut florentis Coloniae (Capuam lege Iulia deductae) territorium minueretur».

Deinde, data colonis sede, agri viritim distribuebantur. Cuius solemnis distributionis hoc habeto exemplum a Livio (IV, 47): «Censuit (senatus) frequens Coloniam Lavicos deducendam. Coloni ab urbe mille et quingenti missi bina iugera acceperunt».

Hic autem iuverit animadvertere, totum ipsum colonicum territorium fuisse, voce agraria, *perticam* nuncupatum; quippe quod huiusmodi agris metiendis perticativa regula, adhiberetur. Quare Propertius⁵ cecinit:

Abstulit excutas pertica tristis opes.

¹ APPIAN., *Bell. civ.*, I.

² II, *Agr.* 32.

³ L., IV.

⁴ II, *Philip.*, 40.

⁵ *Carm.* IV, I, 130.

Atque ad locum Maronis,¹ ubi de agro-rum assignatione per Octavianum militibus facta agitur, ita Servius adnotavit: «Usque ad eum locum perticam militarem Octavius Musca perrexerat, limitator ab Augusto datus: id est per quindecim millia passuum agri Mantuani, quum Cremonensis non sufficeret».

Quomodo autem res Coloniarum publice ordinarentur, ne nimis hodie sermo trahatur, alias dicemus.

S. A.

¹ *Ecccl.* IX, 7.

PRO IUNIORIBUS

De bellis Punicis et Macedonicis quae gesta sunt ab anno a. Chr. n. CCLXIV, ad annum CXXVIII.

Ante duos annos, quum nobis repente deessent libri, ex quibus vernacula vertemus in Latinum, decrevimus partem libri historiarum, qui discipulis esset ad manum, reddere latine. Spinosa res, sed ad acuenda ingenia adulescentulorum valde idonea. Tractata igitur nobis sunt ex rei publicae Romanorum temporibus bella Punica et Macedonica. Haec qui legerit, statim intelliget generis humani casus ante annorum millia horum non fuisse dissimiles; qua ex re prudentes horum temporum percipere possunt consolationem. – Germanicis lectoribus iucundum fuerit interdum componere exemplum Latinum cum Germanico¹ quod nonnullis locis abundat vocabulis a lexicali consuetudine longe remotis.

¹ Stein-Kollig B. I.

De urbe Carthagine.

Urbs Carthago condita est a Phoenicibus. Colonos Tyrios ante annum a. Chr. n. DCCC eo venisse fama est, tantumque brevi cum egregia loci natura tum incredibilis negotiationis augmentis Carthaginiensium augebantur opes, ut ceteras Phoenicum colonias Uticam, Septim Magnam. Septim minorem, Hadrumetum, Thapsum suae facerent dicionis. Libyes indigenae, qui agris colendis quaerebant victum, et Libyphoenices, etiam interiores, servitutem oppressi tenebantur; pastores, qui gentibus subiectis proximi erant, Carthaginiensibus erant vectigales. Itaque horum fines ad orientem versus usque ad Cyrenem, urbem Graecorum, pertinebant; ad occidentem usque ad Numidiam. Sed etiam tota Numidia et Mauretaniae, quae terrae nunc Algeria et Marochium appellantur, litora, longe trans ostium Oceani, Carthaginiensium et Phoenicum coloniis circumdabantur. Hannonem certe, praefectum classis Carthaginiensis, etiam flumen Senegalem superasse patet ex descriptione itineris, quae exstat in Graecum conversa. Carthaginienses navibus paulatim adepti sunt imperium maris interni, qua quidem ad occidentem est, colonos deducebant in insulam Melitam, in eam Hispaniae partem, quae est ad meridiem versus, ubi Gades urbs potentissima, in Baleares insulas, in Sardiniam In Sicilia autem pugna acerrima et ancipihi Marte contendebant cum Graecis.

Hamilcar, Carthaginiensium dux, anno CCCCLXXX victus est a Gelone Syracusanorum tyranno non longe ab urbe Hieronima. Agathocles vero, tyrannus item Syracusanus, anno CCCVIII ad ipsos muros Carthaginis ausus est appropinquare. Contra Carthaginienses, tametsi Syracusas, urbem firmissimam, expugnare non poterant, tamen Siciliam omnem quater sub suam redegerunt potestatem. Itaque eius

partis magnae insulae, quae est ad occidentem, principatum semper obtinuerunt Carthaginienses; alterius partis, quae vergit ad orientem, dominatio Graecorum erat. Sed quum urbes, quae in Sicilia Graecorum erant, Pyrrhi regis consilio foedere coniungi non potuissent, Syracusanorum res navalis minuitur, Carthaginiensium opes crescere coeperunt.

Cruenta Melicertae sacra Phoenicum Carthaginienses a Tyriis acceperant. - Reipublicae praeerant optimates. Duodecimta senatores, quos quasi quamdam gerusiam Spartiatarum fuisse placet scriptoribus Graecis, summa gerebant negotia publica. Summi magistratus, bini sufetes, qui praecipue iudicium exercebant, creabantur annui. In bello renuntiabatur imperator, cui saepe summa commissa est potestas. Omnibus autem magistratis praeerant centumviri, qui summam severitatem adhibebant in eos, qui aut in rem publicam aut in eos, qui tum tenebant principatum, scelus admirerant, et vel imperatores, etiam optime de republica meritos, post acceptam calamitatem iubebant interfici. Cives, tametsi populus ferebat leges, plerumque in potestate divitum negotiatorum erant.

A. HABERL.

(Ad proximum numerum).



DE ARTE VIVENDI DIUTIUS

Non desunt, qui mirificam nostram aetatem, ab inventis advocandam esse autem. Re enim vera, pene innumera sunt, quae identidem in admirationem nova invehuntur, eorumque series ipsis saeculi annis computatur. Utinam vero omnia in utilitatem essent! Nuper et ille memorandus exstitit, qui, incredibili omnium stupore, nos vult docere quomodo possimus ipsimet longiorem nobis facere vitam.

Estne, dices, in homine huiusmodi facultas?

In promptu responsum est: namque, ipse praedicat, nec longiore tantummodo faciam, verum et iucundiorem, insuper et magis ingenuam pleniora.

Quis est hic qui tot grandia portendit?

Hic, in Italia natus, dicitur Ioannes Galli, qui haec atque alia nobis pretiosiora pollicetur, in volumine cui est titulus: *Come prolungare la vita?* Lege hunc librum si adhuc dubitas, si tibi nondum nihil est persuasum. Namque homini «debet ore rotundo, musa loqui». In ipso omnia ea nitent elegantia, ut nihil hac in re perfectius, nihil iucundius posset Italia producere! Ac propterea hoc est adsidue legendum, hoc est omnium manibus tenendum, hisce potissimum diebus, quibus est improba legendi cupiditas. Et clarissimus ille vir, Comes Greppi mediolanensis, qui memoria nostra centesimum est suae aetatis annum integer supergressus, et mox, praeter omnium fidem, est lamentabili casu, improviso morbo interceptus, curam doctoris summo studio adhibuerat, eique mordicus adhaeserat, et diu vixit, victurusque fuisset, nisi mors admodum inopina omnium spem abruptisset.

Scio equidem Horatium antea placita longioris vitae proposuisse, quem diceret:

Quae virtus, et quanta boni sit vivere parvo,

et alio loco, gravi omnes magistri supercilie monebat:

Accipe nunc, victus tenuis quae quantaque secum adferat!

Quod nos olim, duce Horatio, saepe, ipsis in scholis, solemniter enucleare accepimus, nunc doctis utique voluminibus in vulgus editis, idem praedicatur saeculi beatioribus, qui solent

Dapibus mensas onerare inemptis!

Attamen est vere magnis laudibus extollendus hic Joannes Galli, qui, discipuli unice Iesu dilecti nomen sortitus, quem-

que Deus sapientia imbuit, gloria cumulavit, Mediolani commode versatur, et in obsequii signum atque honoris totis per urbem civibus digito monstratur!

Verum qui, ex eius disciplina, vitam producere exoptat, multas admodum sibi curas procurabit, complura studia adhibebit, infinitosque propemodum labores suscipiet, ... dummodo non perperam haec omnia sufferat atque in morbum incidat, atque ita in se mors festinato gradu insurgat.

Ad haec non omnes universum volumen oculis patienter usurpabunt, neve innumera et gravia eius placita laeto vultu accipient, nisi forte indignabundi in auctorem ipsum superbos cachinnos in derisionem extorqueant. Si tamen hoc Galli volumen in compendium reducere velis, eiusque sententias adamussim adhibere, haec, meo iudicio, sunt animadvertisenda. Ut olim sanctiores homines, curis omnibus profanis ablegatis, hoc unum sibi facendum curabant, ut oleribus herbisque viaverent, parvis equidem mutatis, at vehementiori cura studioque suos id facere iubet.

Et sanctus Paulus, Antonius, et in primis Romualdus, cum Petro Damiano, ex Dantis consilio, recte monent quid fecissent:

Sic ibi me dedi ... Deo,

Ut vescens oleis transirem temporis laetus

Exercens mentem rebus in aetheriis.¹

Ita procul dubio, vitam nobis in terris diutissime prorogare debemus, imo «victorque virum volitare per ora» insuper poteris. Solitarii enim nostri sanctissimi, virtute vere victores, non inanem vitam vixerunt et vivunt; et quotquot e recentioribus eorum vestigiis insistentes, diu

¹ *Ma pur con cibi di liquor d'ulivi,
Lievemente passava e caldi e getti,
Contento ne' pensier contemplativi.*

(Parad., XXI).

vivent inter homines, atque ad caelestium immortalitatem aliquando adsurgent, qui laeti cum Vergilio canunt:

Talia secla suis dixerunt currite fusi.

His utere consiliis mecum, si placent, et in aevum vale.

SUBALPINUS.

COMMUNIA VITAE

De officiis.¹

Subita morte correptus est. - Repente (repentino; subito) mortuus est; mors hominem repente occupavit; abstulit). - Supremus eum dies ante occupavit, quam instare crederet. - Morte repentina oppressus, (reuptus) est. - Nihil cogitantem vita deseruit (anima reliquit). - Vis repentina mortis eum sustulit. - E vestigio occubuit. - Fortuita morte absumptus est.

Morbo absumptus (extinctus) est. - Vis morbi hominem consumpsit (vitam homini ademit; vitam abstulit). - Vi morbi oppressus, vitam amisit. - Morbo naturae debitum reddidit. - Aegritudine oppetit - Morbo finitus (solutus) est.

Vulnus vitae finem attulit (vitam finivit). - Prolapsus in vulnus, moribundus cecidit. - Multis vulneribus confectum anima, (ultimus spiritus) defecit. - Accepto vulnere, animam depositus (vitam in vulnere posuit). - Sauciatum spiritus pariter et sanguis liquit. - Linquente spiritu pariter ac sanguine procubuit.

Caede heu! confectus est. - Occisione occubuit - Occisione periit. - Vi extinctus est. - Morte non sua est defunctus. - A nefaria (scelestia) manu interiit (periit; cecidit; occidit).

¹ Cfr. fasc. sup.

Veneno interemptus est (sublatus; occisus est).

Incendio, hei misero! absumptus est. - Incendio consumptus est. - Igne periit.

Pestilentia vitam finivit.

Fame (inedia) confectus (enecatus; peremptus) est.

Tabe consumptus est.

In opere emortuus est.

Ex cruditate interitio ei facta est.

I. F.

ANNALES

Pacis obtestationes.

Novi Pontificis electio, eiusque quae subsequuta est solemnis in Vaticana basilica coronatio, nec non eiusdem Pii Pp. XI prima benedictio ex externo peristylo basilicae Vaticanae in nuntium pacis facta, exsorbere prope visa sunt civiles totius orbis eventus, qui unice fere in futurae quietis disputationes resumi possunt.

Dimisso enim Washingtonensi de armis ubique imminuendis coetu, non sine aliquo felici, quamquam decertato, exitu, Genuensis, quem iam enunciavimus, conventus paratur; qui tamen aliquot dies differetur ob renovatum in Italia administratorum collegium, in quo munus exterarum rerum gerendarum susceptum est a Schanzer illo, qui in supra memorato Washingtonensi coetu Italiae exstitit legatus, pluresque dixit orationes tum ad animos conciliandos, tum ad verae ac diurnae pacis omnium populorum desideria affirmanda. Utinam et qui Genuam accessur erunt iisdem sensibus suam conferant operam! Disceptatum est enim, atque etiam nunc disceptatur in utramque partem; in primis a Gallis, qui timent, ne Versaliense foedus, nisi scriptis, re tamen immutetur,

atque inde putant se iacturam passuros in cautionibus, quas contra Germanos vehementer repetiverunt. Non sunt insuper, atque bono fortasse iure, Russos ad conventum Genuensem admissum iri, nisi prius voluntatem suam gravi aliquo argumento confirmaverint eam reapse esse, per quam dissoluciem civitatis suae rationem, nedum in alios populos inducant, apud suos refraenent, immo in bonam frugem, - externa debita praesertim recognoscentes et solventes - convertant.

Alius brevi conventus erit de rebus in Oriente componendis, ubi Graeci contra Turcas adhuc digladiantur, atque internae regiones factiosorum hominum praeda fiunt in dies, non solum cum commerciorum maximo damno, sed cum exterorum incolarum continentis periculo.

Interim Nationum Societas sessiones habuit nonnullas, in quibus privatorum plurium querelas in examen revocavit, et Albanensium contentiones cum Iugoslavonibus et Graecis: quas componi posse credidit «zonam neutram» ad fines singulorum horum populorum producendo.

Hagae denique, Batavorum interveniente regina, die xv superius mensis Februarii sollemni ritu apertum est supremum illud tribunal, cui munus concreditum continententer internationalem iustitiam tribuendi. Sic res propositis respondeat!

* *

Regales nuptiae.

Londini nuptiae celebratae sunt Mariae, Angli regis filiae, cum nobili viro Lascelles Vicecomite; Bucarestini autem Alexander, Serborum rex, maritalem fidem spopondit Mariae, filiae regis Rumenorum.

Kal. Martii MCMXXI.

POPLICOLA.

Non domus dominum, sed dominus domum exornat.

CICERO, *De divin.*, II.

ROMA SACRA

Ex Congregatione S. Officii.

In generali consessu Supremae huius Sacrae Congregationis habito d. XVI mens. Novembris MCMXXI proscriptum, damnatum atque in Indicem librorum prohibitorum insertum est opus, cui titulus: *Die heiligen Schriften des Neuen Bundes: Aus dem Urtext übersetzt mit Erläuterungen und einer Einführung, von Dr. Nivard Schlägl O. Cist. o. ö. Professor an der Wiener Universität. Bergverlag Richter und Zollner. Wien. 1920.*

* *

Ex Commissione Pontificia de re biblica.

Declaratio de additione variarum lectionum in editionibus Vulgatae Novi et Veteris Testamenti.

In praefatione ad lectorem editionis Clementinae versionis Vulgatae Sacrarum Scripturarum legitur: « Porro in hac editione nihil non canonicum ... nullae ad marginem concordantiae (quae posthac inibi apponi non prohibent), nullae notae, nullae variae lectio-nes, nullae denique praefationes ... Sed sicut Apostolica Sedes industria eorum non damnat, qui concordantias locorum, varias lectio-nes, praefationes S. Hieronymi et alia id genus in aliis editionibus inseruerunt; ita quoque non prohibet, quin, alio genere characteris, in hac ipsa Vaticana editione eiusmodi adiumenta pro studiosorum commoditate atque utilitate in posterum adiificantur; ita tamen, ut lectiones variae ad marginem ipsius textus minime adnotentur ». Quum autem sint qui potent ultimis hisce verbis prohiberi additio-nem variarum lectionum non solum in mar-gine laterali, verum etiam in inferiore seu ad calcem textus, quaesitum est a Pontifica Com-missione Biblica utrum liceat in editionibus versionis Vulgatae tam Novi quam Veteris Testamenti lectiones varias aliave huiusmodi studiosorum adiumenta ad calcem textus ad-iicere. Re examinata Pontifica Commissio Biblica respondit affirmative (Ex aud. SS. d. XVII mens. Novembris MCMXXI).

VACUI TEMPORIS HORA

Quae recens in Vaticano maximo nostro templo acta sunt, tum ad iusta funebria persolvenda Benedicto PP. XV, tum ad Pium XI novum Pontificem coronandum, ea mihi in mentem revocarunt **descriptionem** eiusdem **Vaticanae S. Petri basilicae**, quam memini me legisse in quadam P. Tarquinii Gallutii e S. I. oratione, cuius specimen vos cognoscere haud ingratum fore sum confusus. Ita igitur ille sui temporis clarus in latina lingua scriptor: «Fingite difficilem aliquem antiquae simplicitatis virum, et asperum, semipaganum, religiosum tamen, ac bonum, a silvis magalibus que in Urbem ingredi, ac Vaticanum tempulum per partes exquisite considerare: quadratas opere lateritio pilae, quibus tholus ac totum aedificium incumbit; ingentes supra pilarum abacos fornices impositos, concamerata tecta rosis aureis collucentia, lunulatum hemisphaerium mussivo pulcherrimo inter pictum; aras ac sacella Numidico, Lucullaeo, Punico marmore concto, crustulis ac tessellis infinitis pene vermiculata; lithostratum pavimentum, nunc quadrata, nunc orbiculari figura, nunc varia ac propemodum infinita coagmentatione distinctum; externum templi prospectum perpetuo Tiburtino lapide definitum; vestem ac supellectilem sacram; lucernas aeras, argentea candela, aulaea, peristromata, sigillata vasa Corinthiis, Deliacis, antiquis omnibus aestimatione ac pretio longe maiora... Illa ipsa, quam obtinet hoc tempore, dignitas ac forma, plane loquitur et praedicat huic templo quamdam veluti fuisse tributam aeternitatem».

Ecquis tanta, atque tamen tam paucis conceptis verbis, tam evidenter repraesentaverit?

**

Sed ne hodie longe abeat ab hac sermo, Bernerium quoque ad eventus nostros celebrandum adhibeamus, qui nobis

monstrabit qualis suo tempore fuerit **Pontificius equitatus**, quem Summus Pontifex per Urbis vias procederet. Hoc spectaculum nobis negatur, nec profecto idem praeberetur si nostris diebus Pontifex e suis aedibus exiret. Finge tantum mentitiae, amice lector, quae fuerit confertissima turba ad obolum carpendum: in Urbe enim civium supra septingentena millia hodie adnumeramus!

Et Bernerium audiamus:

Pontificis, quod habetur, iter fortasse per Ur-

[bem,

Quaque ipso fiunt tramite Musa canit.
Mos est subsidium mendicis tradere; nempe
Hoc exercetur tunc pietatis opus.

Protinus hi sese disponunt ordine facto:

Spes nempe exiguae hos ordinat una stipis.
Cernitur adveniens Equitatus, et illico replent
Cursus, et gentes parte ab utraque vias.

Praecedit cunctis stabuli Praefectus¹ et inde
Ante alios albi conspiciuntur equi.

Horum ornant vacuos humeros quae serica
Ipse pendent

Tegmina, texta auro sunt speciosa nimis.
Primates equitant Urbis, pariterque sequun-

[tur,

Pontifici assidue qui famulantur iter.
En qui voce magis populos quam vulnere

[terrent,

Est Germana cohors. Clamat: «Abite pro-

[cul!

Heu vos, retro, inquam, retro! » quam saepe
Minantur

Ictum, sed nunquam virga vibrata ferit.
Non omnes tali funguntur munere, at illi

Tantum lata quibus barba, genaeque rubent.
Denique Pontificem iam pronus quisquis ado-

[rat;

Praesulum et inde cohors, quae comitatur,
Adest.

Armatus leviter miles sectatur eunes,
Effert vexillum, sed breve, quisque manu.

En quidam rubra famulorum veste minister,
Cui munus nummos tradere pauperibus.

Est Iulii pars quarta argentea; cuilibet una
Debetur, si aeque distribuenda foret.

¹ Vulgo: Cavallerizzo Maggiore.

Hic properat celer; at properantem claudit
[utriusque
Iuncta cohors, sequitur, turbaque pressa
[premit.
Qui stabant, simul accurrunt; confunditur
Ordo

Miscenturque omnes: sic nova causa mali.
Impugnat virgam famulus, quam vibrat in
Iictum,

Sic quaerens aditum, nec via lata datur.
Percutit impatiens cervices, terga, manusque;

Haec repetita tamen verbera nemo timet.
Hic dextram extendit, dum porrigit ille gale-

[rum;

Hic gemit, hic queritur, quisque frequenter
[ait:

« Quaeso mihi; en adsum; en pauper; nihil
[ipse recepi;

Non video; claudus sum; fame iam pereo.
Proh pietas! cur lucra mihi tradenda negan-

[tur?

Verbera distribuis, praetereaque nihil! »
Nutibus at loquitur mutus; quin murmure

[vocis

Clamat; adhuc vox non articulata, sonat.
Haec geminos ulnis sustentat foemina natos;

Haec dextra dicit, quin properando trahit.
Defessus languet famulus sine voce, modoque

Distribuit nummos quo meliore potest.
Sudoris guttae manant e fronte, genisque,

Ora rubent, motu membra agitata calent.
Argentum sibi num servet crumena ministri?

Affirmare scelus dico, negare nefas.
Haec sunt illa, pius quae scit decernere lector:

Utatur proprio quilibet arbitrio.
Ast ubi meta viae est tandem quoque copia

[fandi,

Nec spes mendicis amplius ulla datur.
Est qui mercedem nunquam excepsisse fatetur;

Ast alter bis terve obtinuisse refert.
Ingenii hic astus celebrat, sortem exprobat

[alter

Noxiā; at ille sapit, desipit iste nimis.
Non fortuna dedit, dedit illi industria num-

[mos;

Non sors, ingenium huic lucra negavit
[iners.

De se tardus homo tantum, haud de sorte
[queratur:
Nam faber est sortis quilibet ipse sua.

**

Locosa

Ludimagister « de comedibilibus » sermone suis alumnis habito, concludit:

— Comestibilia igitur ea sunt, quibus ad esum utimur. Euge, Tucci, comedibilia nonnulla nobis enumeres.

TUCCIU: Cochleare, furcillam, tryblum, scutellam...

TUCCIU (cuidam condiscipulo): Fidem facio fore ut morbo crastina die labore.

— Undenam hoc praesensisti?

— A magistro, quum nunciavit cras in schola a nobis mathesis periculum se quaesiturum.

**

Aenigmata

I.

FOEMINA sum: me foemina diligit; ipsa rexit Penelope olim me, reddituro in coniuge amato Suspirans. Neutrum Bellona Diana Venusque Me adiiciunt, ut vulnera dent hominique fe

[raequa.

Id mutare velis, quum prima et tertia possint Inter se variare notae: Huc cogimur omnes.

II.

Praeteriere in me: referet neque Iuppiter [annos:

Lente adventantes vox mea significat.
Verbum hoc scribe retro: robustis viribus

[ingenis

Athleta exsistens ante Crotone fuit.

Aenigmata in fasciculo mens. Ianuarii proposita his respondent: 1) *Nix*; 2) *I-o*.

Totius iustitiae nulla est capitalior pestis, quam eorum, qui tum quam maxime fallunt, id agunt, ut boni viri videantur.

CICERO, *De Off.*, 2.

LEO IV

11

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA.

SCENA IV.

PUBLIUS et CONSTANS.

PUBL. Diu te quaerito, Constans, inaniter;
 Multa nam nobis sunt gerenda proxime.
 Mox oratores honestantur Neapolis;
 Precati auxilium Sancti Pontificis.
 Manus nobiscum serent ipsi in poste-
 [rum.]

CONST. Dant opem nobis?

PUBL. Admodum!

CONST. Verum?

PUBL. Utique.

CONST. Quis potuisset mente suspicarier?
 Sunt lenti potius, morosi et timidi.

At non dicuntur devenire a Graecia?

PUBL. Suum Vesuvium tonat, fumificat!
 Incitati, volunt arma cum Pontifice
 Unire et Arabes ita contundere.

Sunt et Romanae civitates liberae ...

CONST. Deo sunt agendae gratiae pro munere.

PUBL. Quid melius posset nunc auspicarier?
 Adsunt et varii nam vicini populi,
 Idem nituntur qui coniunctis viribus.
 Potest sic ignem suscitare Pontifex!

SCENA V.

OCTAVIUS et DICTI.

OCT. (*ingrediens*) Per omnem, Pater, te quae-
 [sivi regiam.]PUBL. Cur me, puer, tantum studiose quae-
 [ritas?]

OCT. Tibi loqui volo remotis arbitris.

PUBL. Potes viro loqui confidentissime,
 Est omnium rerum publicarum arbiter.

OCT. Vir ille praesens tollit confidentiam ...

CONST. Puer ne vellem mihi essem incommodo.

OCT. Color sed ipse suspicionem generat:
 Niger vultus est, pectus est forte nigrius.

CONST. Es ingenuus, puer!

PUBL. Da veniam, precor.

Tace, tu, sis, puer; nescis quid blateras.
 Missa istaec facias, precor; quid a me
 [cupis?]OCT. Adesse nempe hostes audivi plurimos,
 Et urbem multis opprimi molestiis.
 Complures namque qui venerunt undi-
 [que,Romanas vestes perfidius vestiunt,
 Ut ita belle possint nos decipere.
 Gerunt eos Afri turpiter in pectore:
 Ferent hi cunctas patriae molestias.

PUBL. Quis haec dedit?

OCT. Magister ipse et anxius!

PUBL. Quid istac dicit, quae non intersunt
 [sua?]OCT. Non, pater! Haec nosse Romanos adde-
 [cet,Magis Christianos! Istos repellere
 Debemus illico nostris littoribus.
 Et istos tractas tu familiarissime?

PUBL. Enim sunt hospites!

OCT. Dic hostes potius!

PUBL. Tace, precor. Quid scis id aetatis puer,
 Tuis adhuc matris cum sit lac in labiis?OCT. Sic esto! Simul hausimus iudicium, ■
 Amoremque in Urbem, quem gerebant
 [veteres.PUBL. Dicis nam veteres? Precor, quid iuve-
 [nes?]

OCT. Et nos Romani cives licet parvuli!

PUBL. Missa istac facias, tempus non addecet.

(Ad proximum numerum).

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

ROMAE. TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

C. DEL V.